



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XXXIII. Raptam pater vinculis tenens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



verit. Amor, animi peculiare secretum est. Accusatur à vobis Amor<sup>1</sup> & homo, qui deum nostrum patitur? Effet meum crimen aut error, si te solus adamassem.

## XXXIII

*Raptam pater vinculis tenens.*

RAPTA RAPTORIS MORTEM, AUT INDOTATAS NUPTIAS PETAT. Raptam pater vinculis continet, raptor duci ad magistratus desiderat.

## PRO RAPTORE.

<sup>2</sup> Nihil equidem leges clementius paraverunt, quam de lege raptarum: non licet aliud judicare: medius his nemo est. Sum reus: sed exhibe judicem meum. Proh deum atque hominum fidem: in qua civitate raptor solutus est, in ea rapta vincitur?

## XXXIV.

*Mater & noverca invicem reæ.*

Repudiata est à marito, quæ filium habebat: petiit adfidue, ut reconciliaretur. non impetravit: postremo ait, vindicabo me. superduxit ille puero novercam: obiit puer signis ambiguis crudelitatis & veneni. Reas se invicem faciunt, repudiata mater & noverca superducta.

## PRO MATRE CONTRA NOVERCAM.

Totum noverca commisit, quæ uno tempore & maritum miseræ præripuit, & filium. Comparete, iudices, non ante rerum argumenta quam nomina. Quid matri deliquerat filius? neque enim temere sic filius de levi causa, quasi privignus, occiditur. <sup>3</sup> Repudiata es, inquit. Mariti hæc culpa, non filii est: nec matris officium repudio deponitur, sed uxorium nomen amittitur. <sup>4</sup> Dolor orbitatis

<sup>1</sup> Et homo, qui deum nostrum.] Scribe: Amor & homo, qui deum istum patitur. Vel vestrum. Idem.

<sup>2</sup> Nihil equidem leges clementius paraverunt.] Puto, comparaverunt. Auctor ad Herennium lib. 4. Bene majores nostri hoc comparaverunt ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent. Cicero pro

Quinctio: Itaque majores nostri raro id accidere voluerunt: prætores, ut considerate fieret, comparaverunt. Idem.

<sup>3</sup> Repudiata est à marito.] Scribe: Repudiata à marito ex quo filium habebat, petiit adfidue, ut reconciliaretur. Idem.

<sup>4</sup> Dolor orbitatis facinoris arguetur.] Fortè: Dolor orbitatis facinore augebitur. Idem.